CAPUT XXVI.

Qualiter religio ipſa, aut religioſus, etſi ſit ordinis Minorum, capax legati percipiendi ſit.

SUMMARIUM,

Quot quæſtiones diſputandæ ſint, n. 1.
An omnibus religionibus ſuccedendi in communi capacibus poſſit legari? nu. 2.
Legatum relictum pro moniali, & famula, qualiter debeatur monaſterio, num. 3.
An legatum relictum cum onere admittendi quamdam monialem valeat? refertur quædam ſententia, n. 4. & 5.
Explicatur ſententia auctoris, n. 6.
Quæ cautela adhiberi poſſit, ut evitentur opiniones, n. 7.
An legatum religioſo relictum ſub ea conditione, ut partem det pauperibus, conditionale? nu. 8.
Poſt num. 8. invenies ſummaria, quæ deſiderantur.

1 Duplex quæſtio tractanda involvitur. Pior eſt de religionibus ſuccedendi capacibus: poſterior de incapacibus, & in neutra tractamus de Societate JESU, quia de illa eſt habendus ſpecialis ſermo *cap. ſequenti*.

2 Prior quæſtio. An religionibus habentibus bona in communi, ac earum religioſis poſſit legari? qua in re manifeſtum eſt, non ſolùm ipſi religioſi, ſed religioſis quoque ipſis poſſe validè, & licitè legari. Quod univerſi fatentur, & conſtat, quia & religio, & religioſi ipſi ſigulares poſſunt hæredes inſtitui, ut probavimus *cap. præced. num.* 1. Ergo & poteſt ipſis legari. Quippe regula certiſſima eſt, iis omnibus poſſe legari, qui poſſunt hæredes inſtitui, ut expreſsè habetur *inſt. de legatis §. legari, & l. regia 1. tit. 9. p. 6.*

3 Hinc deducitur, legatum annuum relictum moniali pro ſe, & pro una famula, deberi monaſterio quoad partem monialis, licet non quoad partem famulæ; quia nequit famulam habere. Sic allegato *Mariano Socino conſ.* 10. *quæſtione* 6. *verſ. verùm volum.* 2. tenet *Navar. comment.* 2. *nu.* 38. *de regularib. Azor. tomo 1. inſtit. moralium, lib. 12. cap. 8. q. 2. in fin. Manuel qq. regular. tomo 3. q. 16. art. 5. ad finem.* Qui bene quoad partem famulæ hoc moderatur, quando monaſterium non permittit famulas, ſecus ubi permittuntur; debebitur enim etiam pars famulæ, & ſi quinque monialibus concedatur una famula, dabitur ex eo legato pro famula pars ſtipendii huic moniali correſpondens. Additque non eſſe improbabile, deberi monaſterio aliquid ex eo legato pro famulis toti monaſterio inſervientibus neceſſariis ad onera monialium ſublevanda. Sed hoc non placet: quia legans non intendit proſpicere famulis conventus communibus, ſed hujus monialis.

4 Quod ſi legatum relictum ſit uxori, dum vitam vidualem ſervarit, debetur ipſi ingredienti religionem, & acquiret religio, quia pleniùs videtur impleta teſtatoris intentio, quæ eſt, ne matrimonium carnale ineat. Sic *Baldus l. fin. in fine principii, C. de Epiſcopis, & clericis.* Sed ſpecialis difficultas eſt, ſi legetur aliquid monaſterio cum hoc onere, ut teneatur quotannis, aut una vice monialem recipere. Quidam dicunt eam conditionem eſſe ſimoniacam, ac proinde monaſterium non teneri eam implere. Ducuntur, quod temporale illud legati præmium promittatur pro religionis ingreſſu, qui ſpiritualis eſt; & ita eſt ſimoniacum, juxta *cap. non ſatis de ſimonia.* Præterea quia offerre munera ea lege, & pacto, ut recipiens aliquid ſpirituale efficiat, eſt ſimonia, ut tradunt multi, quos retuli *libro 1. de matrimonio, diſputatione 39. num.* 1. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent *Bartolus, l. Titio centum, §. Titio centum, el 1. numero unico, ff. de condit. & demonſtrat.* referens ita conſulviſſe quendam magnum Doctorem, & *l. 2. ad finem, C. de inſtitutionib. & ſubſtitutionib.* ubi ait ſic fuiſſe conſultum per Præcuperium de S. Miniata, & ferè per omnes, & *l. uxorem, §. hæres, in fine, ff. de legat. 3. Aretinus, l. Titia, in principio, num. 5. ff. de verborum obligatione, Imola eodem, §. Titio centum num. 4. & lib. ille autem, num. 3. ff. de hæred. inſtit. ubi Angelus, numero 1. Alexander eadem lib. 2. num. 4. & ibi Decius, num. 10. in nova editione, Ananias, cap. non ſatis, ad finem de ſimonia. Campegius de dot. part. 1. quæſt. 42. Croſſus de ſucceſſione, §. legatum quæſt. 55. in fin. Bronorus in ſuo compendio litera M. verb. monaſterium.* Limitant autem *Angelus ea leg. ille autem, num. 1. & ibi Imola, num. 2. Campegius ead. quæſt.* 42. niſi monaſterium ſit pauper; tunc enim ajunt prædictum legatum valere, quod tunc non tamquam admiſſionis pretium, ſed alimentorum cauſa cenſeatur relictum. Cum qua limitatione idem ſequitur *Gregorius* Lopez, *l. 22. verb. porque tit. 7. p.* 1. Eamdem ſententiam ſequitur *Baldus* cum alia limitatione, *l. fin. num. penultimo C. de ſponſalibus* dicens illicitum eſſe hoc legatum, quando incipit à conditione, ut ſi quædam monialis admiſſa fuerit, lego talem rem: ſecus ſi incipit à ſupplicatione, ut ſupplico monialibus, ut quamdam admittant, & ea admiſſa lego talem rem pro alimentis.

5 Rurſus inter hos Doctores eſt controverſia, an dato legatum id turpe eſſe, ac ſimoniacum, valeat legatum rejecta conditione? Quidam affirmant, atque ita moniales poſſe capere id legatum, non implendo gravamen, quia cùm ea conditio turpis ſit, rejicitur à legato, & inſtitutione, eaque pura manent. Sic Doctor ille magnus relatus à *Bartolo eo §. Titio centum, num. unic. Bartolus lib. 2. ad finem, C. de inſtit. & ſubſt. & lib. uxorem, §. hæres in fine, ff. de legat. 3. Craſſus eodem §. legatum, q. 55. in fine.* Aliis autem placet, utrumque vitiari, nempe legatum, & conditionem, & ſic nec monaſterium poſſe capere legatum, nec conditionem implere. Ducuntur, quod, quando conditio ex ſe non eſt turpis, ſed honeſta, at eſt turpe illa invitare, conditio non rejicitur, ſed vitiat legatum, tamquam turpe, ut notatur *l. ille ff. de hæred. inſtitut.* At ſic contingit in hoc eventu, conditio enim, ut admittatur monialis eſt de ſe licita, & honeſta: turpitudo autem verſatur in legato, quatenus medio illo lucro invitat ad conditionem ſervandam. Sic tenent *Bartolus* ſibi contrarius *eodem, §. Titio centum, n. unic. & ibi Imola, n. 4. Decius Aretinus, Ananias allegati n. præced.*

6 Cæterùm multò verius eſt, eam conditionem eſſe honeſtam, & omnino ſervandam, nullumque vitium ei legandi formæ ineſſe. Ducor, quia ſpe premii obtinendi allicere ad ſpiritualia, ſit ab omni labe ſimoniæ liberum, ac licitum, ut latiſſimè multis allegatis probavi *lib. 1. de matrim. diſputatione 39. numero* 4. Item, quia nullus damnat legata cum onere faciendi quotannis tot ſacra, cùm tamen hoc onus ſit ſpirituale. Præterea, quia frequentior ſententia habet in tractatu de ſimonia, integrum eſſe monaſterio, ſive pauperi, ſive diviti petere dotem, quod & praxis obſervat. Quia ea dos ad alimenta monialis, admiſſæ petitur, & non tamquam pretium rei ſpirituali. Tandem, quia non eſt pactum recipiendæ monialis, ſed onus adjectum rei ſuæ, quod cum illa tranſit in monaſterium. Atque ita hanc ſententiam tradunt *Baldus, l. 1. n. 2. C. de inſtit. & ſubſtitut. & l. Titia, in fine principii, ff. de verbor. obligat. & l. unic. n. 42. q. 5. C. de his, quæ pœnæ nomine. Fulgoſius ea. l. 1. num. 4. Jaſon, l. 2. num. 3. C. de inſtitut. & ſubſtitut. Paulus d. l. 1. num. 2. & l. Titio centum, §. Titio centum el 1. n. 4. in fin. ubi & Cumanus in fine, ff. de condition. & demonſtrat. Ripa, l. in quartam, num. 155. ff. ad l. Falcid. Guillelmus Benedictus cap. Raynutius verb. cuinam Petro, num. 13. de teſtamentis. Villalobos in communibus opinionibus lit. M. verb. monachus, num. 186. Riminaldus conſ. 477. à num. 25. & 36. Surdus conſ. 295. à num. 2. per totum vol. 2. & de alimentis tit. 9. quæſt. 27. nu. 4. Cevallos in ſuis communibus quæſtione 439. n. 10. & triplici ſequenti Galganettus de condit. & demonſtrat. part. 2. cap. 5. q. 9. nu. 2.*

7 Ut tamen evitentur opiniones, conſultius erit ſic legare; ſi moniales talem receperint, lego eis centum pro alimentis. Sic *Bart. eo §. Titio centum in fin. Decius, & Campegius allegati, nu.* 4. Quamvis nec in hoc caſu valere, niſi monaſterium ſit pauper, affirment *Imola eodem, §. Titio centum. nu. 4. in fin. Alexander l. 2. nu. 4. C. de inſtit. & ſubſtit.*

8 Præterea eſt difficultas, an legatum monacho relictum ſub ea conditione, ut certam partem dividat inter pauperes, ſit conditionale, ac proinde ea pecuniæ partem non diſtributa amittatur? Breviter dico non eſſe conditionale, ſed modale, & ideo non amitti: tum quia illa verba (*ſub conditione*) ſolam conditionis figuram habent, cùm natura conditionis ſit ante ejus exiſtentiam ſuſpendere acquiſitionem, *l. cedere diem, ff. de verborum ſignificatione.* Sed in hoc eventu teſtator voluit legatum illud prius monacho acquiri, at cum prædicta obligatione, & ita ſuſtinent *Cardinalis, Ancharanus, Dominicus Francus, Barbatius,* ut eos refert & ſequitur *Menchaca de ſucceſſionum progreſſu, l. 3. §. 27. num.* 15. Quamvis minus bene *Bartolus, & alii,* quos ibi refert, dicant eſſe legatum conditionale.

SUMMARIUM,

Utrum conventui fratrum Minorum poſſit legari? num. 9.
Utrùm cuicumque fratri Minori poſſit legari? num. 10.
Quid ſi legatum ſit immoderatum? 11.
An ſit contra votum paupertatis, accipere Minores id legatum immoderatum? nu. 12.
An valeat prædictum legatum immoderatum, & quid faciendum, & quorum ſit arbitrari, quando ſit immoderatum? nu. 13.
An repugnet mendicitati ſervare victualia, vel ſi ſuperflua ſint, cum aliis commutare? nu. 14.
Quotupliciter poteſt legari Minoribus? nu. 15.
An valeat legatum rei immobilis, quando explicatur eam vendendam, ac Minoribus æſtimationem dandam? nu. 16.
Quid ſi explicetur modus illicitus, nempe ut retineant? numero. 17.
At tunc legatum ſit omninò caducum, ita ut nec æſtimatio debeatur? num. 18.
An liceat Minoribus habere hortos, aut vineas, ut fructibus veſcantur, habeantque vinum ad bibendum, & ut locent, aut fructus vendant, nutrire oves, aſinos, porcos, vaccas, apes, columbas? nu. 19.
An valeat legatum domus ad habitandum, aut ibi conſtruendum Eccleſiam, factum Minoribus? Refertur duplex ſententia? nu. 20. & 21.
Explicatur ſententia auctoris? nu. 22.
Quid ſi id legatum fiat aliis Mendicantibus? nu. 23.
Quid ſi legetur aliquid Minoribus pro uſu tunc non neceſſario, aut ſuperfluo? nu. 24.

Quid

Quid ſi legati uſus non ſit conveniens fratri Minori ſpeciali, cui legatur? num. 25.
Quid ſi legetur fratri Minori ea lege, ut ſuperiore moleſtante perdat legatum, vel donec ſuperior moleſtet? num. 26.
An valeat legatum rei immobilis relictæ Minoribus nullo expreſſo modo? Refertur quædam ſententia, num. 27.
Sententia Auctoris, nu. 28.
Per quos ea res vendi debeat, ut fratribus tradatur? n. 29.
An in venditione illius rei, & generaliter cujuſcumque eccleſiaſticæ ex neceſſitate facta, exigatur ſolemnitas petita ad rei eccleſiaſticæ alienationem? num. 30.
An in venditione rei immobilis relictæ aliis Mendicantibus, exigatur prædicta ſolemnitas? num. 31.
An ſit neceſſariò vendenda ſtatim res illa immobilis, an potius ſit opportunitas expectanda, & cujus ſint fructus illi medii temporis; & an hæres exiſtens in mora teneatur aliquid reſtituere; & quid ſi emptor non inveniatur? num. 32.
An fratres Minores ſint capaces cenſus illi relicti? n. 33.
An ſint capaces annuorum redituum, quamtumvis exigui ſint, & quando hoſpitale, aut alius hæres gravatur, ut quotannis Minoribus certam quantitatem tribuat; num. 34.
Quid ſi legatum annuum ad alimenta ſit ad modicum, vel ad longum tempus? Refertur quædam ſententia, n. 35.
Sententia auctoris, num. 36. Ubi quid ſi ſit ad alimenta hoc legatum annuum, vel ſit legatum uſusfructus?
Quale dicatur modicum tempus, & quale longum. Referuntur variæ ſententiæ, num. 37. & 38.
Sententia auctoris, num. 39.
Quid ſi legatum relinquatur ad vitam cujuſdam fratris Minoris? num. 40.
An ſint capaces fratres Minores legati annui relicti ad concernentia cultum divinum? Refertur quædam ſententia. numero 41.
Sententia auctoris, num. 42.
An ſint capaces anniverſariorum relictorum ipſis in perpetuum? Refertur quædam ſententia, num. 43.
Sententia auctoris, num. 44.
An ſint capaces legati annui pro ſtudio? Refertur quædam ſententia, num. 45.
Sententia auctoris, num. 46.
An ſint capaces legati annui pro infirmorum neceſſitatibus? numero 47.
An hæc legata annua, & anniverſaria, quorum fratres Minores non ſunt capaces, debeantur in foro conſcientiæ ab hærede? Refertur quædam ſententia, num. 48.
Sententia auctoris, num. 49.
An hæredes teneatur tunc facere id onus impleri, & poſſit dari eleemoſyna illa Minoribus, ut impleant? num. 50.
An quod impleto onere ſupererit, poſſint ſibi retinere? numero 51.
An poſſint Minores accipere hanc eleemoſynam, tamquam ab hærede debitam, vel ſponte datam? num. 52.
An liceat illis admittere eleemoſynas annuas, quas gabellarii, aut alii famuli jubentur quotannis illis elargiri? n. 53.
An ex conſuetudine dandi liberaliter Eccleſiæ, aut pio loco aliquid, decennio præſcribatur eleemoſyna, & quid de fratribus Minoribus? num. 54.
An liceat Minoribus inducere fideles, ut hæc anniverſaria illis relinquant? num. 55.
An liceat illis compoſitionem facere cum hæredibus gravatis ad legata annua? 56.
An legatum annuum voto promiſſum liceat fratribus Minoribus accipere? & quid ſi gravetur hæres à teſtatore, ut id votum impleat? num. 57.
An fratres Minores jus aliquid comparent erga legata illis modo licito relicta, an hæredes illis obligentur? num. 58.
Poteſt Syndicus civitatis, aut quilibet de populo petere, ut hæc legata fratribus Minoribus ſolvantur, num. 59.
Poteſt etiam ex ſuo mero officio Judex ad hoc compellere, numero 60.
Hic Judex eſt eccleſiaſticus, aut ſæcularis, num. 61.
Poſſunt fratres Minores hoc Judicis officium implorare, numero 62.
Poteſt Syndicus Minorum hoc petere, nu. 63.

9 Quæſtio poſterior. An religiones incapaces ſuccedendi in communi, ut Minorum de obſervantia, & Capucinorum, ſint capaces legati, & ſimiliter earum religioſi ſingulares? Videtur enim pars negantium: quia qui nequit hæres inſtitui non eſt capax legati, *§. legari inſtit. de legat. & l. regia 1. tit. 6. parte* 6. At hæ religiones, & religioſi nequeunt hæredes inſtitui, ut diximus *num.* 1. ergo nec eis poteſt legari. Cæterùm eſt certiſſimum poſſe religioni Minorum legari, quippe hoc expreſsè diffinitum eſt *cap. exiit, §. ad hæc quia fratribus, de verborum ſignificatione, in* 6. Nec obſtat ratio in contrarium adducta; quia ea regula verum habet in iis, qui ob juris communis prohibitionem inſtitui hæredes nequeunt: iis enim ſimiliter legari nequibit, ſecus de iis, qui ob ſolum paupertatis votum incapaces ſunt hæreditariæ ſucceſſionis, quales ſunt fratres Minores; quippe poteſt id votum ex voventium intentione, & ſtatutis ſolam hæreditariæ ſucceſſionis capacitatem excludere, non autem legati; & ſic de facto contingit in fratribus Minoribus.

10 Sicut autem tota fratrum Minorum communitas capax eſt, ut ipſi legetur; ſic quilibet frater Minor eſt ſimiliter capax, & in ſolis illis caſibus, quibus illa eſt incapax, erit quoque hic. Ratio eſt aperta, quia ſicut quilibet frater Minor eſt incapax proprii, & hæreditariæ ſucceſſionis, ſimiliter quoque eſt incapax tota communitas: & ideo ſi capacitas legati eſſet contra paupertatem fratris ſingularis, eſſet quoque contra paupertatem totius communitatis. Præterea, quia legatum eſt quædam donatio à defuncto relicta ab hærede præſtanda *§. legatum inſtitut. de legat. & l. regia 1, titul. 9. parte* 6. At frater Minor eſt capax, ut ſibi donetur, ergo ut legatur. Sic colligitur ex *extravaganti 1. verſic. porrò ut circa ſepulturam, de privilegiis,* ibi; *De quibuſcumque verò relictis præfatis fratribus in communi, vel ſingulis ultimis deſcendentium voluntatibus;* & docent *Bartolus* dicens ita decreviſſe Benedictum Papam, cujus verba refert *tractatu Minoricarum, lib. 2. diſtinctione 5. cap. 1. num. 28. & cap. 2. num. 31. & l. ſervos 17. num. 2. ff. de aliment. Imola ca. 2. num. 42. de teſtamentis, & ibi Ancharanus, num. 30. Paraſius cap. in præſentia, num. 175. & 178. de probat. Manuel qq. reg. tom. 2. quæſt. 125. art. 6.*

11 Hæc tamen limitanda ſunt, modò id legatum non ſit tantæ quantitatis, ut præſumatur fieri in fraudem, id eſt, relinqui hæreditatem ſub nomine legati. Conſtat ex *Clementin. exivi, §. cupientes verſic. nec liceat eis, de verborum ſignificatione.* ibi; *Nec liceat eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quod præſumi poſſit hoc in fraudem fieri, quaſi ſub modo, & forma legati ſibi dimitti facere, vel ſic dimiſſa recipere, quin potius iſta ſic fieri ab ipſis ſimpliciter prohibemus.* Atque ita docent omnes: ſi tamen fratribus Minoribus ſumptuosè ædificantibus legentur expenſæ neceſſariæ ad ædificium, *Baldus authent. ingreſſi in nova editione num. 59. C. de ſacroſanct. Eccleſiis,* hoc utrinque diſputat, & concludit, *num.* 60. de hoc cogitandum, & ſervari de facto, quando relinquitur pro ædificio totum exigi.

12 Ex verbis autem ex prædicta Clementina citatis duo colliguntur. Prius eſt, fratres acceptando tale legatum magnæ quantitatis, non faciunt contra paupertatis votum, ſed contra juris prohibitionem, quod re vera non ſint hæredes, nec in jus defuncti ſuccedant. Sic *Corduba in reg. D. Franciſci, cap. 6. quæſt. 11. puncto* 1. At hoc non credo, quia cùm dominium omnium bonorum ad Minores pertinentium ſit apud Pontificem, ſolo facti uſu ipſis relicto ex ejus licentia, quam in hoc caſu denegat, ipſi acceptando hoc legatum, uſurpant illius uſum contra voluntatem veri domini, & legitimi ſuperioris: ergo delinquunt in paupertatis votum.

13 Poſterius eſt; Pontifex non irritat valorem prædicti legati magnæ quantitatis, nec liberat hæredes ſolutione hujus legati, ſed limitat receptionem à fratribus faciendam; vult enim fratres non recipere legatum, quod in hæredis fraudem fieri præſumitur. Quod tunc evenit, quando eſſet tanta quantitas, ut ejus receptio magis ſaperet theſaurizare, quàm imminentibus neceſſitatibus proſcipere: Quare tunc ex quantitate illa legata dabitur fratribus, quod imminens neceſſitas poſtularit; reſiduum verò tunc fratres nequeunt admittere, & ſi numquam ſupervenerit neceſſitas, numquam admittere poterunt. At id poterunt alia neceſſitate ſuperveniente. Quia nequit theſaurizatio præſumi, nec in fraudem, cùm id ſolùm recipitur, quod imminenti neceſſitati ſublevandæ opus eſt. Sic *Bartolus tractatu Minoricarum, lib. 2. diſtinctione 1. cap. 1, num. 4. 5. 6. Manuel qq. regul. tomo 2. quæſtione 126. artic. 1. Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium verb. legata, in ſuis annotat. verſi. ſed ſi quæras.* Miniſtri autem, & cuſtodes ſimul, vel ſeparatim arbitraturi ſunt, quando hæc quantitas ſit immoderata, attenta perſonarum, & temporum qualitate, veritate, & conditione locorum, & aliis circumſtantiis, ut expreſsè habetur *cap. exiit, §. inſuper, nec utenſilia, de verborum ſignificatione in* 6. & benè tradit *Bartolus eadem diſtinctione 1. cap. 1. num.* 3. qui benè ait *cap. 2. num.* 8. idem dicendum eſſe, quando in diverſis teſtamentis diverſa legantur, quorum quodquilibet non eſt immoderatum, at tota quantitas ſimul eſt immoderata. Quare Guardianus, & conventus nequibunt arbitrari, quæ ſit quantitas immoderata, ſed ſupradicti Prælati, ut benè ait *Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium verb. legata, in ſuis annotationibus verſ. quando ergo pecunia.*

14 Non repugnat tamen mendicanti ſervare victualia, quando timetur fore, ut alio tempore haberi nequeant. Sic *Cardinalis Clement. exivi num. 16. de verborum ſignificatione, Sylveſtr. verb. legatum 2. quæſt. 3. dicto 1. in fine, Roſella, verb. legare, num. 21. in fine,* Nec repugnat etiam paupertati Minorum recipere triticum, & alias res ſuperabundantes, ideſt ultra eorum neceſſitatem, ut per Syndicum commutentur pro aliis rebus neceſſariis, vel vendantur ad has coemendas. Sic enim conceſſit Leo X. cujus verba refert *Manuel qq. regul. tom. 1. quæſt. 26. art.* 4. Et quamvis collector compendii privilegiorum Mendicantium *verb. commutare num.* 3. dicat cavendum eſſe omninò ab hac conceſſione, quod ſit contra declarationem Nicolai III. & relaxet paupertatem Minorum: at melius *Corduba in annotationibus circa eum locum compendii & Manuel eodem art.* 4. ajunt non eſſe contra prædictam paupertatem, quando concurrit duplex conditio, quam illa Leonis X. conceſſio petit. Prior eſt, quod illa ſuperabundanti peta-

petatur ad habenda alia neceſſaria, quæ abſque pecunia haberi nequeunt. Poſterior, ut ea commutatio, aut venditio fiat per Syndicum.

15 Quo autem res hæc exactiùs intelligatur, opportet præmittere, tripliciter poſſe Minoribus fratribus legari. Primò, explicando modum licitum, ac ipſis juxta eorum conſtitutiones permiſſum, ut ſi illis legetur vinea, vel alia res immobilis, explicando, ut ea vendatur, ac pretium in neceſſitates fratrum convertatur. Secundo modo, quando explicatur modus ipſis illicitus, ut vinea, ut eam excolant, aut alia res immobilis, ut eam retineant. Tertiò modo, quando abſolutè legatur illis res immobilis, nullum illius uſum explicando.

16 Quando ergo exprimitur modus licitus, conſtat valere legatum, & rem eſſe vendendam, ut fratribus æſtimatio detur. Ita deciditur expreſsè *c. exiit §. ad hæc quia fratribus verſ. ſi verò modum, de verborum ſignif. in* 6. & docent univerſi.

17 Quod ſi exprimatur modus non illis permiſſus, ut ſi legetur illis vinea, ut ab eis excolatur, vel alia res immobilis, ut ab ipſis retineatur, debent fratres Minores per omnem modum abſtinere à receptione talis legati. Habetur expreſsè *eodem §. ad hæc quia fratribus*, & tradunt omnes.

18 Sed poteſt dubitari, an tunc id legatum ſit omnino caducum, ac proinde poſſit illud retinere hæres, an æſtimationem teneatur fratribus dare, aut in alium uſum ſit convertendum. Videtur enim deberi fratribus æſtimationem, quia æſtimationis ſunt capaces, & ille modus tamquam jure impoſſibilis rejicitur à legato *l. obtinuit, ff. de condition. & demonſtr. & l. reprehendenda C. de inſtitut. & ſubſtitut*. Præterea, quia quandò modus legato adjectus impleri nequit, convertendus eſt in alium modum poſſibilem, *lib. legatum ff. de uſufructu legato*. Et ita valere legatum rejecta conditione, loquens de fratribus Prædicatoribus, quibus tunc etiam interdictum erat retinere immobilia, aſſerit *D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 12. not. 7.* & in fratribus Minoribus tenet *Menochius conſ. 1014. num. 29. & ſequentibus volum. 11.* Cæterùm dicendum eſt, nec tunc deberi æſtimationem, nec eam poſſe recipi à fratribus tamquam debitam. Conſtat, quia *d. §. ad hæc quia fratrib.* dicitur ſic: *à tali legato, & ejus receptione per omnem modum fratres abſtineant.* At modus legati recipiendi eſt æſtimationem recipere *lib. ſi domus §. qui confitetur ff. de legat. 1. & l. non dubium §. fin. ff. de legat. 3.* Atque ita docent *Bart. tractatu Minoricarum l. 2. diſt. 2. cap. 1. num. 9. Anchar. Clem. exivi num. 17. de verb. ſignific. Manuel quæſtionum reg. tomo 2. quæſtione 126. artic. 1. Sorbus in compendio privilegiorum Mend. verb. legata, in ſuis annotationibus verſ. idem dicendum eſt.* Imo id legatum prorſus non valet, ſed eſt caducum, & ſic non eſt convertendum in alium uſum. Probatque optimè *Bal.* ſtatim allegandus, quia quando legatum capit ſubſtantiam ex modo, ſicut ſunt relicta Minoribus, quia ex ſe ſunt rei immobilis relictæ incapaces, & ratione ſolius modi iis liciti capaces redduntur, numquam fit converſio in alium uſum, ſed modus vitiat legatum; ſecus autem quando legatum non capit ſubſtantiam ex modo, quia nimirum abſque illo modo poteſt impleri. Quia tunc reputatur ac duplex præceptum, alterum ſubſtantiæ legati, & alterum modi; & ideo ſi modus non tenet, debet converti in alium ſimilem, juxta *d. lib. legatum*. Et per hoc reſpondetur ad contraria: atque ita colligitur ex *Bart.* proximè allegato & docent *Federicus conſ. 175. Bald. authentic. ingreſſi in nova editione cap. 58. & 59. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Abb. cap. in præſentia num. 63. de probationib. Corneus* explicans poſſe hæredem retinere *conſ. 217. num. 4. volum. 4. & conſ. 117. nu. 9. vol. 2. Navarr. lib. 3. conſ. tit. de teſtamentis in 1. editione conſ. 14. num. 5. in 2. conſ. 8. num. 5. Manuel. eo. art. 1. §. ultim. Sorbus ibidem verſ. ſed eſt advertendum*. Quare non placet concordia, quam affert *Corduba in reg. D. Franciſci cap. 6. quæſt. 11. puncto 1. ad fin.* ubi ait Minores, qui non acceptarunt privilegium Martini IV. de Syndico, non poſſe acceptare tale legatum, ſecus de iis, qui id privilegium acceptarunt; quia privilegium fuit, ut Syndicus omnia legata, quæ ad pecuniam reduci poſſunt, diſtrahat, & convertat in fratrum neceſſitates. Sed hoc non placet, quia debet intelligi, quando modus regulæ contrarius non eſt expreſſus.

19 Ex his infertur, licere Minoribus habere hortos, ex quibus olera victui neceſſaria colligant, dummodo nil fructuum inde perceptorum vendant, aut locent, & vineam aliquam poſſidere in uſum ægrotantium, aut ex morbo convaleſcentium, vel ut fratres animi recreandi gratia in rem ad tempus ſe recipiant. Habetur expreſsè *Clement. exivi §. licet verò, de verb. ſignif.* & docent omnes. At non licet dictis fratribus vineas habere, ut inde vinum ſibi neceſſarium ad bibendum habeant. Quia hoc appropinquat redditibus, vel illorum poſſeſſioni, ac uſui. Sic *Corduba in reg. D. Franciſci cap. 6. quæſt. 10. puncto 2.* & ſic refert *ibi in 3. punct.* in quodam ſuo Capitulo generali juſſum eſſe omnes vineas divelli, ex quibus fratres vinum ſuo potui colligebant. Addit autem *puncto 4.* non eſſe illis interdictum habere vineas ad uvas edendas, ſicut nec habere hortos ad edenda olera, cæteroſque fructus, ut dicitur *§. licet verò*. Dicit etiam *ea quæſtione 10. puncto 2.* non eſſe illius licitum nutrire agnos, oves, ut fratres carnes edendas habeant, aut nutrire gallinas, & columbas, porcos, vaccas, apes ad ſuum uſum, ſive illa ipſi nutriant, ſive ſæcularibus nutrienda tradant, niſi quando ratione neceſſitatis prudenter judicaretur talia eſſe moderatè nutrienda pro aliquali neceſſitatum levamine, ne adeò moleſti ſæcularibus ſint: at licet nutrire gallinas pro infirmis.

20 Secundò deducitur, quid in ea quæſtione dicendum ſit, an valeat legatum, quando fratribus Minoribus legatur domus ad habitandum, aut ibi ad conſtruendam Eccleſiam? Quidam cenſent legatum non valere, ſed eſſe inutile, quod ipſis interdictum ſit nova loca acceptare *cap. 1. de religioſis domibus, & cap. 1. de exceſſibus Prælatorum, in* 6. & cùm legatum hoc capiat ſubſtantiam ex modo, illeque ſit impoſſibilis, vitiabitur juxta dicta *num.* 17. atque ita docent *Federicus conſ. 175. viſo inſtrum. per totum Bald. authent. ingreſſi in nova editione num. 56. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Anchar. Clement. exivi numer. 19. verb. ſignif. Gualdenſ. de arte teſtandi tit. 6. cautela 62. numer. 1.* Quare ait *numer.* 2. cautelam eſſe, ut valeat legatum, ſi adjiciatur conditio, ut ſi is modus impleri nequeat, convertatur in alium licitum: & *titul. 1. cautela 11. in fin.* dicit ſimiliter eſſe inutile legatum pecuniæ Minoribus ad novum locum emendum, in quo debeat conſtrui nova Eccleſia: & cautelam eſſe, ut valeat apponi conditio, obtenta prius Romani Pontificis licentia. *Duennas reg. 381. ampliat. 2.* dicens inutile eſſe id legatum, quamvis ſit pecuniæ ad locum illum emendum, aut conſtruendum.

21 Alii cenſent id legatum valere, non ut obſervetur præceptum teſtatoris, ſed ut convertatur in alium uſum, juxta *l. legatum ff. de uſufructu legato*. Quare tunc ſolus modus legato adjectus, illud vitiat, quando continet ſpecialem impoſſibilitatem contrariam regulæ, & inſtituto fratrum Minorum, qualis non eſt hæc; quia idem interdictum eſt omnibus Mendicantibus *cap. 1. de privilegiis in* 6. Sic *Bart. tractat. Minoricarum lib. 2. diſt. 2. cap. 1. nu. 9. & c. 2. num. 12. Manuel qq. reg. tomo 2. qu. 126. artic. 1. ad finem, Sorbus in compendio privilegiorum Mendicatium verb. legata, in ſuis annotationibus verſ. & idem dicendum eſt.*

22 Verum ſic diſtinguendum eſt. Si Minores non egeant ea domo, ut propriam domum, aut Eccleſiam extendant, & ut cum illa continuent, vel ut inhabitent, aut Eccleſiam in ea ædificent, non valet legatum. Et in hoc caſu eſt vera prior opinio relata *num.* 19. ob ejus rationem. Quippe fratres Minores nequeunt habere Eccleſias, aut domos ſeparatas à propria habitatione, ſicut nec poſſeſſiones, aut redditus, aut parochias alias. Si verò egent ad prædictos uſus, ut Eccleſia, aut domus extendatur, ac ex utraque unica conſtruatur, valet legatum, quippe tunc non eſt modus regulæ contrarius. Sic tradit *Corduba in regular. D. Franciſci cap. 6. quæſt. 11. puncto 2. dub. 1. ad finem*, qui addit, in quadam ſua Congregatione declaratum eſſe, licere fratribus hoſpitari in domo relicta alicui, ut ibi hoſpitentur Minores, alimentaque illis præbeantur.

23 Quatenus autem *eo. c. 1. de privileg. in* 6. interdicitur omnibus Mendicantibus nova loca acquirere, id habebat verum attento antiquo eorum ſtatu, quando eis non erat permiſſa bonorum immobilium poſſeſſio. At cùm hodie omnibus illis ſit permiſſa, exceptis Franciſcanis de obſervantia, & Capucinis, in *Trident. ſeſſ. 25. cap. 2. de regularibus*, ceſſat in reliquis ea prohibitio. Sic *Manuel qq. regul. tomo 2. quæſt. 125. art. 1. in fin.*

24 Tertiò deducitur, ſi legetur Minoribus aliquid pro certo uſu, explicando uſum ſuperfluum, non valere legatum: quia eſt modus contrarius eorum profeſſioni. Sic *Bart. tract. Minoricarum l. 2. diſt. 3. c. 3. in fin. Manuel quæſtionum reg. t. 2. quæſtione 126. ad finem. Sorbus in compendio privilegiorum Mendic. verb. legata verſ. ſed eſt advertendum*. Si verò non explicetur uſus ſuperfluus, ſed abſolutè legetur pro uſu aliquo licito, ut pro induendis hoc anno fratribus, & eo anno non ſit neceſſarius: ſed eſſet ſuperfluus, eo quod decenter omnes eſſent induti, & duplices habere veſtes repugnet eorum ſtatui, valet utique legatum, quia uſus in ſe eſt licitus, nec repugnans regulæ Minorum; ſed tantùm ex ſuppoſitione, quod habeant alias veſtes, eſt illicitus: & tunc, ſi eſſet eleemoſyna data à viventi, convertenda eſſet in alios uſus fratrum de licentia donantis, & ſi renuat, reſtituetur ipſi, ut habetur *c. exiit §. quia verò puritati, de verb. ſignif. in* 6. At ſi eſt legatum, non habet hoc locum: quia licèt vivens poſſet revocare donationem: at hæres nequit legatum revocare, ut probavimus hoc libro ſuprà. Quare tale legatum validum eſt, ac debet converti in alias fratrum neceſſitates. Sic *Bart. eodem l. 2. diſt. 3. toto c. 2. Manuel ibidem, Sorbus in compendio privileg. Mendic. verb. legata, in ſuis annotationibus, verſ. ſed ſi aliquid legatum*. Addit *Manuel* convertendum id legatum in alium uſum, auctoritate ordinarii. Sed *Bart. eodem l. 2. diſt. 2. cap. 3. & Sorbus ibid. verſ. ſed dices per quem* dicunt de conſenſu cuſtodis, & hæredis, & ſi diſcordent, conſulendum Judicem, & ejus ſententiæ ſtandum. Et quamvis non explicent, quis Judex ſit ille, clarum eſt, futurum ordinarium eccleſiaſticum, ad quem hæc commutatio ſpectat.

25 Quartò deducitur, quid dicendum de legato facto alii fratri Minori, cuj uſus illius legati convenire nequit, ut ſi legetur Biblia fratri Minori cæco, *Bal. auth. ingreſſi, in nova editione numer. 58. C. de de ſacroſanct. Eccleſ. & Anchar. Clement. exivi numer. 28. de verb. ſignific.* aiunt non valere legatum. Ducuntur, quia cùm uſus illius

legati

legati nequeat illi convenire, non eſt tacitè illi legatus uſus licitus. Sed quod attinet ad hoc exemplum, lapſi ſunt hi Doctores, quia poteſt cæcus ille uti eo libro audiendo alium ſibi legentem, & ita eſt uſus licitus conveniens illi: ſicut de quocumque alio devotionis libro diceremus. Quare aptius exemplum eſſet, ſi fratri Minori laico legaretur Biblia, aut opera Scoti, & adhuc contra Baldum ſentio valere legatum, & convertendum in alium uſum, ut bene docent *Corduba in regul. D. Franciſci cap. 6. quæſtione 11. puncto 2. dub. 2. Manuel qq. reg. tomo 2. quæſt. 126. art. 1. §. ult. Sorbus eo. verb. legata verſ. ſed eſt advertendum*. Immo etſi expreſſit teſtator modum non convenientem illi laico, valeret adhuc legatum, ut ſi dixiſſet, lego ei hos libros, ut litteris vacet, convertendumque eſſet pretium illorum librorum venditorum in alium uſum ei fratri permiſſum, vel in uſum aliorum, ut benè ait *Corduba ibidem*. Et ratio eſt, quia etſi modus expreſſus non ſit aptus illi laico, eſt tamen conveniens ſtatui fratrum Minorum. At *cap. exiit §. ad hæc quia fratribus, de verborum ſignific. in* 6. tunc dicitur legatum non valere, quando modus legato adjectus eſt contrarius ſtatui Minorum, ut conſtat ex exemplis ibi adductis, ſcilicet quando legatur vinea ad eam excolendam.

26 Ultimò deducitur, quid dicendum, quando legato facto cuidam fratri Minori adjicitur conditio, ut ſuperior permittat eum fratrem illo frui, & eo non permittente amittatur legatum. Quidam dicunt id legatum non valere, ſed haberi tamquam non ſcriptum, quia modus repugnat ſtatui eorum. Sic *Bald. lib. unica num. 44. C. de his quæ pœna nomine relinquuntur. Angel. lib. Lucius Titius 78. §. très gradus, numer. 2. ff. ad Trebellian*. Cæterùm nullam ſtatui illorum repugnantiam video, ut legatum non debeat valere, quando aliàs juxta dicenda numeris ſequentibus valeret legatum annuum relictum Minoribus; quia in hoc eventu ſolus facti uſus ex ſuperioris licentia illi fratri Minori relinquitur, & ſemper eſt ab ipſo revocabilis, & ſolùm amittentur, ipſo revocante licentiam, fructus in poſterum percipiendi. Et ideo ſive dicatur in legato, ea lege, ut permittat ſuperior eum religioſum eo legato frui, ſive ſub pœna amittendi, ſive donec patiatur ſuperior ipſum frui, ſive ea lege, ut retineat, velit, nolit ſuperior, exiſtimo, quod attinet ad legati, & conditionis valorem, aut non valorem, idem prorſus dicendum, quod diximus ſuprà de legato ſimiliter relicto aliis religioſis.

27 Tandem, quando legatum rei immobilis ſit fratribus Minoribus ultimo modo, nempe nullum explicando uſum, ſed abſolutè illis legatur quoddam prædium, an valeat legatum, & debeatur res illa vendi, & pretium in fratrum neceſſitates cedat, non eſt modica difficultas. Quidam cenſent id legatum eſſe nullum, & ita neque quoad æſtimationem deberi. Ducuntur, quod jus reſiſtat prædictis fratribus; ſunt enim rei immobilis incapaces. Et quando legatum eſt ratione ſolius alicujus cauſæ licitæ validum, & abſque illa eſſet ipſo jure irritum ratione incapacitatis perſonæ, cui relinquitur, ſi fiat ſimpliciter, & non expreſſa illa cauſa, non convertitur in cauſam licitam, ſed manet irritum, ſicut conſtat in legato facto deportatis, & damnatis ad metallum, quod eſt nullum ipſo jure, nec convertitur in alimentorum cauſam, pro qua ſunt capaces legati acquirendi *l. ſi in metallum ff. de his, quæ pro non ſcriptis habentur, & l. ſi deportatis ſerv. in princ. de legat. 3.* Cùm ergo fratres Minores ſint incapaces legati rei immobilis, niſi ut ea vendatur, & non adjecta ſit hæc cauſa, legatum illius erit omnino irritum, nec in cauſam licitam convertetur. Atque ita docent *Bar. l. unic. in fine C. de conductorib. lib. 11. & ibi Platea in fine. Jacobus Rebuffus num. 4. Angel. conſ. 224. num. 1. & 2. Anchar. conſ. 199. in fin.* addens poſſe hæredem tuta conſcientia non ſolvere. *Imol. cap. 2. num. 42. de teſtamentis. Aretin. §. conſtat num. 11. quem legit in l. Africanus ff. de legat*. Quamvis concludat articulum eſſe valdè dubium in decidendo, & meliùs cogitandum. *Cuman. eodem §. conſtat, in fine, quem legit in l. cùm ſervus ff. eodem titul. Gualdenſis de arte teſtandi tit. 1. cautela 11. num.* 2. Et in hanc partem, quamvis dicat rem eſſe dubiam, magis inclinat *Mantica de conject. ultim. volun. lib. 9. tit. 9. num.* 13. & hujus ſententiæ videtur manifeſtè *Azor. tomo 1. inſtit. moral. lib. 12. cap. 23. quæſt.* 11. ait enim reliquis Mendicantibus præter Franciſcanos integrum eſſe recipere bona ſtabilia teſtamento legata, non ut retineant, ſed ut vendant.

28 Cæterùm nullatenus placet mihi hæc ſententia, ſed exiſtimo legatum valere, ac deberi æſtimationem. Ducor ex *c. exiit §. ad hæc quia fratribus verſ. ſi verò modum, de verb. ſignific. in* 6. ubi Pontifex triplicem legandi modum diſtinxit, adhibens exemplum in re immobili, & deſcendens ad tertium modum, quando ea abſque modi expreſſione legatur, hæc ait. *Si verò fratribus ipſis generaliter aliquid abſque modi expreſſione legetur, in hoc legato ſic indeterminate relicto, in omnibus, & per omnia intelligi, ac ſervari volumus, & in perpetuum præſenti conſtitutione jubemus, quod ſuprà in pecunia, ſeu eleemoſyna fratribus indeterminatè oblata, vel miſſa volumus, ac expreſſimus obſervari, videlicet, ut ſub modo licito fratribus intelligatur eſſe relictum; ita quod nec legans merito, nec fratres ipſi effectu relicto fraudentur.* Quare non obſtat ratio contraria, tum quia quicquid ſit in eo ſpeciali caſu propter diſpoſitionem legum volentium ſic punire damnatos illos, id non poteſt habere locum in noſtro caſu, cùm fratres Minores non ſint incapaces rei ſtabilis propter delictum aliquod, ſed ratione ſuæ profeſſionis, & cùm habeamus expreſſam juris Canonici deciſionem, qua declaratur id legatum reputari modo licito factum, ac valere. Tum etiam, quia, ut optimè ait *Aretinus num. præcedenti allegatus*, ſi quantitas legati relicti damnatis illis eſſet alimentis eorum proportionata, fortè poſſet dici legatum illud interpretandum in dubio relictum ad alimenta, & ſic valere. Secundò, quia cùm res immobilis legatur ſimpliciter, non repugnat verbis, ut præſumatur relicta eo modo, qui ad legati valorem neceſſarius eſt, quia ſemper in dubio ea præſumptio capienda eſt, ut faveat actus valori, eo vel maximè quod hic de cauſa pia, & religione agatur, in quo eventu in dubiis opinionibus præferenda eſt Eccleſiæ favens, ut probavimus ſuprà. Tandem, quia verba ſimpliciter prolata intelliguntur in dubio juxta conditionem perſonæ, ad quam diriguntur, ut diximus in quæſtione, utrùm valeat legatum ſub conditione, ut monaſterium illi non ſe intermiſceat. Cùm ergo verba hujus legati rei immobilis dirigantur ad fratres Minores, qui nullatenus ſunt illius capaces, niſi ut pretium ejus venditæ recipiant, ſic intelligenda erunt verba illius legati. Et ideo hanc partem ſuſtinent *Bart. tractatu Minoricarum l. 2. diſt. 4. c. 1. n. 19. & l. fidei, commiſſa, §. ſi ſervo, in fine ff. de legat. 3. & l. apud Julianum, 40. in aliis incipit, Africanus, §. conſtat, n. 4.* qui §. in aliis ponitur poſt *l. 41. ff. de legat. 1. & ibi Paulus n. 4. Alexand. n. 10. Imola eod. §. fin. quem legit in l. cùm ſervus, ff. eod. tit. Abb. c. in præſentia, n. 63. de probationib. & ibi Pariſ. n. 265. Florian. l. cætera, §. ſi duobus, ff. de legat. 1. Cardin. conſ. 66. nu. 3. & conſilio 102. n. 2. dub. 2. Corn. conſ. 117. n. 8. 9. & 10. vol. 2. & conſi. 217. n. 4. volum. 4. Ananias conſi. 30. nu. 7. Spino ſpecul. teſtam. gloſſ. 12. principali n. 59. Manuel qq. regular. tomo 2. quæſtione 126. art. 1. Sorbus in compend. privileg. Mend. verb. legata, in ſuis annotat. verſ. idem dicendum.*

29 Nec debent fratres in his venditionibus intervenire, ſed id per hæredes faciendum eſt, cùm apud eos ſit rei illius dominium. Poſſunt etiam id executores facere: & quamvis aliàs ad bona vendenda exigatur ſpecialis permiſſio teſtatoris *l. alio ff. de alimentis, & cibar. leg. & l. penult. C. quando decreto opus non eſt*, id tamen fallit in hoc caſu, eo quod legato illi ea ſemper conditio ineſt, ut vendatur. Poſſunt etiam id efficere Epiſcopus, & Judex ſæcularis ex proprio officio, præcedenti tamen mora hæredis, vel executoris, qui bis moniti non vendunt, *auth. de eccleſiaſticis titulis §. ſi quis autem*, quæ omnia docent *Bart. tractatu Minoricarum, lib. 2. diſt. 4. toto c. 3.* ubi concludit ſolùm his fratribus licere ſupplicare hæredi, vel executori contra judicium, ut votum teſtatoris impleant. Hoc tamen non tollit, quin poſſint Judicis officium implorare, ut ſuo officio cogat implere.

48 Nec in hac venditione exigitur ſolemnitas jure petita ad rei eccleſiaſticæ alienationem, quod in alienatione neceſſario non exigatur ſolemnitas aliqua, ut ſi ingrediens religionem juſſit in ſuo teſtamento bona aliqua ſua ſtabilia vendi, ut optimè tradit *Lapus in nova edit. allegatione 25. n. 4. & ibi Mandoſis in addit. verb. ſolemnitate, Rebuffus de alienatione rerum eccleſiaſtic. à nu.* 29. Et hac ratione ducti tenent in noſtris terminis hanc partem. *Baldus authent. ſi quæ mulier, n. 15. in fine C. de ſacroſan. Eccle. Decius c. in præſentia, in nova edit. n. 271. de probationibus, & ibi Felinus n. 5. verſ.* 3. ubi etiam refert *Guillelmum de Cuneo, Corneus conſ. 117. num. 11. vol. 2. Roland. conſ. 25. n. 7. vol. 1. Navar. comment. 2. n. 50. de regularib. Greg. Lopez l. 63. verb. en eſſa miſma. tit. 18. p. 3.*

31 Quamvis autem DD. prædicti idem aſſerant de bonis ſtabilibus relictis aliis Mendicantibus, dicentes ea poſſe vendi abſque prædicta ſolemnitate, loquuntur attento jure antiquo, quo erant ſtabilium bonorum incapaces, & ideo tamquam neceſſitate coacti ad ea vendenda non tenebantur obſervare ſolemnitates petitas in rei eccleſiaſticæ alienatione. At cùm hodie ſint capaces bonorum ſtabilium attento *Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. de regularib.* non coguntur ſtabilia ſibi relicta vendere, & ſubinde nec ea ſemel per acceptionem effecta propria poſſunt alienare abſque prædictis ſolemnitatibus. Quod optimè advertit. *Navar. n. præcedenti allegatus.*

32 Non tamen opus eſt, ut ſtatim res illa immobilis fratribus Minoribus relicta vendatur, ſed poteſt opportunitas temporis expectari, ne vili pretio vendatur, ut bene tradit *Azor. to. 1. inſtitut. moralium, l. 12. c. 23. q.* 11. & ſi emptor nullatenus inveniatur, tenentur fratres Minores eam ab ſe ſe abjicere, vel dare in eleemoſynam, cùm nullatenus retinendi ſint capaces. Sic *Abbas cap. recolentes, in fine de ſtatu monachorum*. Quod ſi quæras, cujus ſint fructus rei illius ſtabilis, dum non venditur, in nullo auctore inveni, ſed credo eos eſſe hæredum. Ducor, quod dominium illius eſt apud hæredem, ut rectè ait *Bartol. tractatu Minoricarum, lib. 2. diſt. 4. c. 3. n.* 25. ergo & fructus, cùm proprium ſit dominii, ut ipſum ſequantur fructus, *l. & ex diverſo 36. §. 1. ff. de rei vendicatione*, & docet *Menochius* alios allegans *de præſumptionibus libr. 3. præſumpt. 30. numer.* 55. Et quamvis peccet, ſi ſit in mora vendendi gratia fructuum ſibi percipiendorum; at non tenetur gratia hujus moræ aliquid reſtituere; quod nullum lucri ceſſantis, aut damni emergentis detrimentum ſequutum ex mora Minoribus fuerit. Quippe illis non res ipſa, ſed ejus pretium

debebatur; at pretium non poterant negotiationi exponere ſed expendendum erat. Si verò ex tali mora detrimentum pateretur res illa in pretio, tenetur hæres in mora culpabili exiſtens, id detrimentum fratribus reſarcire; quia in eo injuſtè damnum intulit.

33 Potiſſima autem difficultas eſt de legato annuorum reddituum relicto fratribus Minoribus an valeat. Et ut clarè procedamus, priùs agendum erit de capacitate eorum ad eos redditus ipſis relictos acquirendos, & poſtea agemus, an id legatum ſit prorſus irritum, atque ideo hæres poſſit tuta conſcientia illud retinere, nec in alium uſum convertendum ſit. Agendo ergo de capacitate fratrum Minorum ad eos redditus ſibi legatos acceptandos, præmittendum eſt primò, non verti in quæſtionem, quando non per modum annuorum reddituum relinquuntur, ut quando relinquitur cenſus quidam fratribus Minoribus; hujus enim legati ſunt capaces, atque debetur illis æſtimatio: ſicut etiam *num.* 27. diximus valere legatum cujuſcunque rei immobilis, & deberi æſtimationem, quia tunc nullos redditus habent Minores. Nam, ut benè advertit *Bartolus tractat. Minoricarum libro 2. diſt. 6. c. 1. nu.* 33. legatum annuum non interdicitur fratribus ratione rei legatæ, ſed ratione modi à teſtatore expreſſi, ſcilicet quod annuatim detur, qui modus eorum regulæ repugnat. Cùm ergo in ſimplici cenſus legato non reperiatur hic modus, erunt capaces illius, quod bene advertit *Abbas c. in præſentia, n. 63. de probat. Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium, verb. legata, in ſuis annotationib. verſ. ſi verò aliquid annuum, ſeu aliquid redditus.*

34 Difficultas autem eo pertinet, quando annui redditus legantur fratribus Minoribus, jubente teſtatore quotannis tantam quantitatem illis tribui, vel per alias temporum diviſiones, ut quotidie, vel tertio quoque menſe, vel tertio quoque anno. Ratio verò dubitandi eſt, quod modus hujus legati paupertati Minorum adverſetur. Quippe ſunt annuorum reddituum incapaces, ut conſtat ex *Clemen. exivi, §. cumque annui redditus, de verborum ſignif.* ibi; *Cumque annui redditus inter immobilia cenſeatur à jure, ac hujuſmodi redditus obtinere paupertatis, & mendicitati repugnet: nulla dubitatio eſt, quod prædictis fratrib. redditus quoſcumque, ſicut & poſſeſſiones vel earum etiam uſum, cùm eis non reperiatur conceſſus, recipere, vel habere conditione conſiderata ipſorum non licet.* Ex qua dictione univerſali (*quoſcumque*) colligitur, eos eſſe incapaces cujuſcumque redditus annui, quantumvis exigui, ut optimè docent *Fulgoſius conſ. 104. & Decius c. in præſentia, in nova editione, numer. 273. de probationibus*, quos refert, & ſequitur *Tiraquellus tractatu de judicio in rebus exiguis, numer. 158. verſ. 55. Queſada in diverſis quæſt. juris cap. 22. numer. 29. Corduba in reg. D. Franciſci c. 6. quæſt. 11. puncto* 3. Colligitur etiam eos eſſe incapaces reddituum perpetuorum, ad quos dandos fratribus Minoribus ſolent teſtatores gravare hoſpitale, vel alium hæredem ab ipſis inſtitutum. Quod fatentur univerſi DD. allegandi, cum veri reditus annui ſint, moduſque reliquendi adverſetur eorum regulæ.

35 Prima igitur difficultas eſt, quando legantur fratribus Minoribus annui redditus ad modicum tempus, an modus hic adverſetur paupertati fratrum Minorum, atque adeò non ſint hujuſmodi legati capaces? Quidam adverſari aſſirmant, & ideo eos non eſſe capaces. Ducuntur ex univerſali annuorum reddituum prohibitione relata *numer. præced.* quippe quamvis hi modico tempore durent, adhuc tamen ſunt annui redditus. Præterea, quia quando eadem prohibitionis ratio, quæ in bonis ſtabilibus reperitur, vendicat ſibi locum in annuis redditibus ad modicum tempus legatis, computantur hi inter bona immobilia. At in hoc caſu militat eadem ratio, quæ eſt, ne tollatur mendicitas. Et ideo hanc partem ſuſtinent *Bart. tract. Minoricarum lib. 2. diſtin. 6. c. 3. num. 35. Socin. in tract. de oblationib. libello 8. q. 7. nu. 7. in fine Manuel quæſtion regularium tomo 2. q. 126. art. 3.*

36 At multo veriùs eſt, eos capaces eſſe hujuſmodi legati, ſecus quando eſt ad longum tempus. Ducor quo ad priorem partem, quod id moraliter cenſetur legatum unius eleemoſynæ ſolvendæ eo tempore ſucceſſivè, atque adeò per hoc non tollitur, ſed ſublevatur mendicitas, ſicut non tolleretur tota ea ſumma ſimul relicta; & ex hoc patet ſolutio ad contraria. Quo ad poſteriorem autem, quia ſicut locatio rei immobilis eccleſiaſticæ, vel ejus fructuum venditio ad longum tempus æquipollet alienationi ipſius, *Clement. 1. ad finem de reb. Eccleſ. non alienand.* ſic à ſimili receptio reddituum ad longum tempus æquipollet poſſeſſioni rei immobilis, quæ paupertati Minorum repugnat. Atque ideo hanc partem ſuſtinent *Federicus conſ. 12. num. 5. Anton. c. in præſentia n. 25. de probat Abbas conſ. 66. nu. 6. lib. 2. Cardinalis Clement. exivi, n. 13. de verb. ſignifi. & ibi Ancharanus n. 21. & c. 2. n. 20. de teſtamentis, & ibi Imola n. 42. Ananias n. 20. Quidam conſulens*; cujus conſilium habetur tacito nomine *poſt conſilium 12. Federici, Gualdenſis de arte teſtandi tit. 1. cautela 11. n. 1. in fine Roſella ſumma verb. legare, n. 21. Angelus verb. legatum 1. n. 5. Sylveſtr. verb. legatum 2. q. 3. dicto 1. Tabiena verb. legatum, 1. q. 4. nu. 5. Serena conſcientia q. 20. Corduba in reg. D. Franciſci c. 6. q. 11. puncto 3. Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium verb. legata, in ſuis annotationibus verſ. ſi verò aliquid annuum non perpetuum. Emmanuel Sà ſumma verb. religio, n. 57.* Et juxta hanc diſtinctionem intelligendi ſunt Doctores aliqui abſolutè dicentes legatum annuum pro alimentis fratrum Minorum valere. Hi ſunt *Bart. l. ſervos ad cuſtodiam, numer. 2. ff. de alimentis & cib. leg. Pariſ. c. in præſentia, n. 178. de probationib. Bald. Imol. & Romanus*, quos refert, & ſequitur *Redoan. de ſpoliis eccleſiaſtic. q. 8. in prin. n. 17.* & alii, quos refert *Duennas reg. 381. limit. 1. Anton. Gomez to. 1. variarum c. 12. n. 46. Craſſus de ſucceſſione, §. legatum q. 9. in fine*, intelligendi enim ſunt, quando id legatum eſt ad modicum tempus; *& ibi Duennas, & Queſada quæſtionibus diverſis juris c. 22. n.* 31. limitant niſi id alimentorum legatum ſit quid annum, intellige annuum ad longum tempus. Et eodem modo erit verum, quod tradit *Queſada in ſuis q. variis juris c. 22. n. 21. & 22.* ubi ait fratres Minores non eſſe capaces uſusfructus ſibi relicti; quod quis juris contineat uſusfructus: at Minores ſunt omnis juris incapaces. At eſſe capaces hujus legati aſſerit *Ananias conſil. 30. n.* 6. Sed ſic diſtinguendum eſt: ſi ſit ad modicum tempus, ſunt capaces, quia reputatur quid mobile, & quod juris acquiritur Eccleſiæ Romanæ, ſicut in aliis legatis, ſolo uſu facti relicto Minoribus; ſecus ſi ſit ad longum tempus, quia computatur inter immobilia. Limitat *Sorbus ibid. verſ. modicum autem tempus*, quando id legatum eſſet minimum, quia ſi eſſet ita magnum, ut截 ſupereſſet toto illo tempore ad conſulendum neceſſitatibus fratrum, non poſſet acceptari, quia eo tempore non viverent in ſpe Dei, & ita repugnaret eorum ſtatui. Sed hoc intelligendum eſt juxta id, quod diximus de legato, quod quando tale eſt, magnum cenſetur.

37 Rurſus inter hos DD. eſt controverſia, quale dicatur modicum tempus. Nam *Ancharanus. Imo*, & ille conſulens allegati *num. præced.* ajunt in hoc dicendum idem, quod notatur *Clem. 1. gloſſ. fin. de rebus Eccleſ. non alienand.* quæ diverſas refert ſententias, & eam videtur ſequi, ut ſint quinquennium, ut ait *Lapus allegat. 80. n. 1.* Diverſas etiam refert ſententias *Mandoſius in ſignatura gratiæ tit. licentia, ſive indultus locandi redditus beneficiorum, verſ. quod ſit modicum tempus.*

38 At potiſſimum eſt duplex ſententia. Prior ait modicum tempus eſſe decennium, & infra, & longum tempus, quod eſt ultra decennium. Sic tradunt *Ananias, Angelus allegati n. 35. Sorbus in compendio privilegiorum Mendic. in verb. legata, verſ. modicum autem tempus.*

39 Poſterior ait, quæ eſt communis, & tenenda, modicum tempus eſſe quod eſt infra decennium: at longum tempus eſſe decennium, & ultra. Quam ſuſtinent *Lapus allegat. 30. in nova edit. in fine Cardinalis ea Clem. exivi. nu. 13. Math. de Afflict.* alios referens *tractatu de jure protbem. in notabili 8. n. 25. Alex. conſ. 17. viſo inſtrumento in princip. & n. 2. vol. 4. Pariſ. conſ. 98. præſupponendum n. 5. vol. 4. Bocr. deciſ. 234. n. 4. Mandoſius in addit. ad allegationem 80. Lapi, Roſella, Sylv. & Corduba allegati n.* 31. Addit *Corduba*, vel ſi legentur annui redditus tertio quoque anno uſque ad 20. annos dandi. Sed hoc non credo, quia jam eſt magnus tempus, utpote quod decennium excedit.

40 Non dicetur autem legatum annuum perpetuum, ut ſic Minores non ſint illius capaces, quando legatum relinquitur ad vitam alicujus fratris Minoris. Ducor quia etſi ſit perpetuum reſpectu illius monachi, cui relinquitur, non eſt perpetuum ſimpliciter. Perpetuitas enim ſimpliciter debet attendi reſpectu religionis, cui immediatè id legatum acquiritur. Quare cùm tempus centum annorum attendatur in relictis Eccleſiæ, aut civitati *lib. fin. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* non dicentur redditus illi annui perpetui, niſi ad centum annos ſint. Nec etiam dicentur fieri ad longum tempus, quia nil certius morte, nec incertius ejus hora. Atque ita, cùm quotidie poſſit legatum id extingui, non dicetur fieri ad longum tempus. Et hanc partem tenent *Federic, Anton. Abbas allegati num.* 35.

41 Secunda difficultas eſt, an repugnent paupertati fratrum Minorum redditus perpetui deputati non ad ipſorum victum, ſed ad certum divini cultus uſum, ut ad frumentum, vel vinum neceſſaria materiæ conſecrationis, oleum pro lampadibus, ornamenta altarium, calices, &c. Quidam negant, quod *text. Clem. exivi §. cumque annui redditus, de verb. ſignif.* indiſtinctè interdicat annuos redditus minoribus; & ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Sic *Azor. tom. 1. inſtit. moralium lib. 12. cap. 23. quæſt. 15.*

42 Sed communis, & verior ſententia eſt, id legatum non adverſari eorum paupertati, & ideò non eſſe, cur non valeat. Quod mendicitas fratrum Minorum in eo verſatur, ut quotidie alimenta mendicent, quorum nomine ſola veniunt corpori neceſſaria, ut eſus, potus, habitatio, veſtes, *l. legatis, ff. de aliment. & cibar. leg.* Quæ mendicitas hoc legato non tollitur, utpote quod non in hæc cedere debeat, ſed in neceſſaria cultui divino. Atque ideò hanc partem ſuſtinet *Federicus conſ. 12. n.* 4. & alius Conſulens, cujus conſilium tacito nomine auctoris refertur ibi poſt id conſilium 12. *Anton. c. in præſentia num. 25. de probationibus, & ibi Mantua num. 78. Abbas conſ. 63. num. 4. lib. 2. Cardinalis Clem. exivi num. 12. de verb. ſignific. & ibi Ancharanus num. 18. & num. 21. idem Ancharanus, cap. 2. num. 30. de teſtamentis, & ibi Imol. nu. 42. Ananias num. 20. idem Ananias conſ. 30. à numer. 3. uſque ad 5. Bald. auth. ingreſſi, in nova editione, num. 59. C. de ſacroſ. Eccleſ. Roſella, verb. legare num. 21. Angel. verb. legatum 1. numer. 5. in fine, Sylveſtr. verb. legatum 2. quæſt. 3. dicto 1. Tabiena verb. legatum 1. q. 4. numer. 5. Navarrus lib. 3. conſiliorum tit. de teſtamentis in 1. editione, conſil. 13. numer. 3. in 2. conſ. 9. numer. 3. Serena conſcientia q. 20. Corduba in reg. D. Franciſci cap. 6. quæſt. 11. puncto 3. Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium verb. legata, in ſuis annotationibus Federic. tamen, Menoch. conſ. 1014. numer. 36. & 37. vol. 11. Emmanuel Sà ſumma verb. religio enim numero 57. Ribadeneira de inſtituto Societatis Jeſu cap. 23. fol. 191. Manuel qq. reg. tom. 2. quæſt. 126. articul.* 5. & à fortiori hoc tenent *Bart. & DD. quos cap. 24. numer.* 13. retulimus, dicentes poſſe Eccleſiam fratrum Minorum hæredem inſtitui.

43 Tertia difficultas eſt, an anniverſaria perpetua relicta Minoribus, repugnent eorum paupertati, ut ſi hæres jubeatur à teſtatore largiri quotannis fratribus Minoribus certam quantitatem, ut ſacra, vel alia officia divina fiant pro teſtatore? *Antonius Cucus libr. 3. inſtitut. majorum, tit. 1. numer. 36. & triplici ſeq. & Manuel qq. reg. tom. 2. quæſt. 126. art.* 4. cenſent legata hæc non repugnare paupertati fratrum Minorum, quia hoc nil aliud eſt, quam jubere ea ſacrificia fieri, & ſtipendium debitum perſolvi: & ſic non reputatur legatum fratribus relictum, ſed ſtipendium ſacrificiorum; & idem tenet *Ribadeneira de inſtituto Societatis Jeſu, cap. 23. fol.* 191. & poſſunt referri pro hac parte Paludanus in epiſtola ad Magiſtrum ordinis Prædicatorum, quem referunt, & approbant *Angelus verb. legatum 1. numer. 5. Sylveſter. verb. legatum 2. quæſt. 3. dicto 2. Tabiena verb. legatum 1. quæſt. 4. numero* 5. ubi ajunt non eſſe contra inſtitutum Minorum hoc legatum, niſi quando poſſidetur tamquam redditus, & proprietas, exigendo etiam in judicio, ſecus quando per modum eleemoſinæ petitur extra judicium. Sed, cum poſtea idem dicant de aliis annuis redditibus, nil ſpeciale videntur agnoſcere, eo quod relinquantur tamquam ſtipendium ſacrificiorum. Sed quamvis ſatis confusè loquantur, videntur agere de obligatione hæredis in conſcientia ad ea legata ſolvenda, de qua non agimus in præſenti, ſed agemus *à num.* 48. & ita confundunt eam hæredis obligationem cum capacitate fratrum, reſpectu talium legatorum.

44 Et ideò dicendum eſt prorſus de hoc legato, ac de aliis legatis annuis perpetuis relictis fratribus Minoribus, quorum diximus *num.* 33. eos non eſſe capaces. Ducor, quod id legatum ſit verè annuorum reddituum & perpetuum, tollatque omninò fratrum mendicantem, cùm id in victu, & veſtitu eorum expendendum ſit. Unde verè eſt legatum annuum fratribus factum pro victu, & veſtitu. Atque ita docent *Ancharanus Clem. exivi, nu. 21. fin. & 22. init. de verb. ſignific. Navarr. lib. 3. conſiliorum, tit. de teſtamentis in 1. editione conſ. 14. à num. 3. in 2. conſ. 8. à num. 3. Corduba in reg. D. Franciſci, c. 6. q. 11. puncto 4. notab.* 2. ubi affert deciſionem cujuſdam Capituli generalis Minorum hoc ſtatuentis, cujus verba referam *num. 48. & Surd. de alimentis tit. 3. quæſt. 4. num.* 13. dicit ſe vidiſſe ordinationem fratrum Minorum, ut nequeant recipere titulo legati illius, niſi à ſponte dantibus abſque prædicti oneris obligatione. *Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. cap. 23. quæſt. ultima, Sorbus in compendio privilegiorum Mendic. verb. legata, in ſuis annotationibus verſ. ex quibus colliges.*

45 Quarta difficultas eſt, an legatum annuum pro ſtudio fratrum Minorum repugnet eorum mendicitati? Quidam cenſent non repugnare, & ſic validum eſſe, probatq; *Abbas* ſtatim allegandus ea ratione, qua nos uſi ſumus *nu.* 41. ad probandum non repugnare legatum factum ad cultum divinum: quippe cùm hi redditus non ſint pro alimentis, ſed pro litteris addiſcendis, non repugnat eorum mendicitati. Sic *Abb. conſil. 63. per totum lib.* 2. & dicit ita ſentire *Gloſſam Clement. dudum verb. indirectè de ſepulturis*, ubi ait legatum monacho pro libris emendis valere; quamvis loquatur de fratris Prædicatoribus. *Decius cap. in præſentia, in nova editione num. 274. de probat. & ibi Pariſ. num. 175. Felinus c. cùm dilecta, num. 20. verſ. & ſuas, de reſcriptis, Ruin. conſ. 101. n. 12. verſ. Præterea illa lex, Rebuffus* alios referens *de privileg. ſcholaſticorum, privileg. 135. Horatius Lucius de privileg. ſcholaſticorum privilegio 92. Redoanus de ſpoliis eccleſiaſtic. quæſt. 8. in princip. numero 16. Menoch. conſ. 114. num. 38. vol. 11. & num. 34. & 34.* & limitat hoc *num.* 34. modò adminiſtratio non ſit penes fratres, ſed penes ſæculares. Sed contrarium tenet *Queſada in diverſis qq. juris, c. 22. nu.* 23. Quia illi ſunt verè annui redditus.

46 Sed ego ſic diſtinguendum exiſtimo. Si redditus illi annui legentur ad libros, & reliqua ſtudio neceſſaria cœmenda, valet legatum, nec repugnat mendicitati, & hoc probat ratio adducta: ſecùs ſi ſit ad alimentu neceſſaria ſtudentibus, quia cùm ſit legatum pro alimentis, tollit mendicitatem. Et ita clarè videtur ſentire *Abb. eo conſ. 63. num.* 2. & ita explicat *Antonius Cucus lib. 3. inſtit. majorum tit. 1. num.* 39.

47 Nec credo verum quod ait *Ananias conſ. 30. à nu. 3. uſque ad 5. Manuel qq. reg. 2. t. q. 126. art. 4. fin.* ubi dicunt non repugnare paupertati Minorum legatum annuum factum pro neceſſitatibus infirmorum, quaſi non ipſis fratribus, ſed loco deputato infirmis fiat, ut quando ſit fabricæ Eccleſiæ, quia non video cur non tollat mendicantem, cùm deſerviat in neceſſariis infirmorum alimentis, & medicinis, quæ nomine etiam alimentorum comprehenduntur.

48 Quinta difficultas eſt, an in caſibus, in quibus explicavimus *nu. 35. 43. 45. & 46.* fratres Minores non eſſe capaces legati annui, quod hæres, aut hoſpitale, vel quicumque alius gravatus à teſtatore eſt ipſis dare, teneatur hæres in foro conſcientiæ implere voluntatem teſtatoris, ſolvendo fratribus Minoribus quotannis eam quantitatem? Duplex eſt ſententia. Prior affirmat illum teneri, quia ſtat quempiam nullum prorſus jus habere ad aliquam rem, & conſequenter alterum non eſſe illi obligatum; & tamen hunc eſſe obligatum reſpectu alterius, ut conſtat in voto, quo quis ſoli Deo promiſit certam eleemoſynam elargiturum Xenodochio, tunc enim ſecundum communiorem, & veriorem opinionem nullatenus obligatur Xenodochio, utpote quod ex illo voto nullum jus in re, vel ad rem acquirit: at obligatur reſpectu Dei, cui ſoli ex illo voto acquiſita eſt obligatio ad ſolvendam illam eleemoſynam Xenodochio. Ergo quamvis fratres Minores eum hæredem obligatum ſibi non habeant ad eam eleemoſynam quotannis ſibi ſolvendam, nec jus aliquod in re, vel ad rem acquirant, non liberatur hæres obligatione, ſolvendi, ſed tenebitur utique ſolvere, non ex obligatione, aut jure monaſterio acquiſitis, ſed ex obligatione in ordine ad teſtatorem, qui eam ſibi impoſuit. Secundò, quia ſi quiſpiam voto ſe adſtrinxiſſet dandæ in perpetuum quotannis fratribus Minoribus certæ eleemoſynæ, abſque dubio teneretur elargiri, non obſtante incapacitate annuorum reddituum, quæ ineſt fratribus Minoribus, quia illa obligatio non eſt reſpectu illorum; ſed reſpectu ſolius Dei; & ideò non repugnat mendicitati fratrum Minorum. Ergo ſimiliter dicendum eſt de prædicto legato annuo. Et ideò hanc partem tenent *Angelus verb. legatum 1. num. 5. Sylveſter verb. legatum 2. q. 3. dicto 3. Tabiena verb. legatum 1. q. 4. num. 5. Manuel qq. reg. tom. 2. quæſt. 126. art.* 4. Et hæc ſententia probabilis eſt, illique favet *Lara lib. ſi quis à libris, §. virum, num. 14. ff. de liber. agnoſcend.* ubi ait poſſe fratres Minores petere alimenta ipſis relicta officio judicis implorato: ſi enim nullatenus eſſent debita non poſſet judex ſuum impertiri officium.

49 Poſterior ſententia (cui tamquam probabiliori adhæreo) affirmat hoc legatum eſſe prorſus nullum, & inutile. Ducor primò, quia *Clem. exivi §. cumque annui redditus, de verb. ſign.* decidit Pontifex non licere fratribus recipere annuos redditus illis relictos; nec loquitur de obligatione ſpontanea, qua hæres ſponte ſua, & abſque aliqua obligatione illos redditus daret Minoribus: hoc enim pacto illis recipere non eſſe interdictum, nemo ambigit; ſed ſicut quamcumque aliam eleemoſynam liberaliter datam poſſunt admittere, ita, & hanc. Nec loquitur etiam de receptione ex obligatione, & jure acquiſitis per ipſos fratres, ſunt enim incapaces omnis juris, omniſque obligationis ſibi acquirendæ, etiamſi modo licito fieret legatum, ut dicemus *numer.* 58. Et ita ſi de hac ſola receptione loqueretur, nullum prorſus diſcrimen eſſet inter receptionem legati ſub modo licito, & ſub modo illicito relicti: cum enim ad neutrum poſſint Minores jus habere, vel alterum ſibi obligare, nulla poteſt conveniens diſcriminis ratio inter utrumque reperiri, niſi dicamus hæredem adſtringi in foro conſcientiæ ad ſolvendum legatum modo licito Minoribus relictum, non ex obligatione illis acquiſita, ſed obligatione in ordine ad teſtatorem qui illam impoſuit, ſicut in voto dicebamus *numero præcedent.* ad legatum autem modo illicito nullatenus teneri, quamvis poſſit liberaliter dare. Secundò, quia Pontifex ibidem ait, legatum annuorum reddituum Minoribus relictum, continere expreſsè modum contrarium eorum regulæ, & paupertati; & legatum ſub tali modo expreſſo eſt prorſus inutile, nullaque illius ſolvendi obligatio adeſt, ut probavimus *num.* 17. Ergo idem dicendum eſt de hoc legato. Nec obſtat prima ratio contraria, quia quamvis eo modo habere redditus non repugnet paupertati Minorum, at teſtator non eo modo relinquit, ſed ut cuicumque alii perſonæ. Et Pontifex *in eo §. cumque annui redditus*, hanc legati formam declaravit eſſe contrariam ſtatui Minorum, qua declaratione tenemur ſtare, dum in hujuſmodi legato non explicat teſtator modum licitum, nempe ut in ordine ad ſe ipſum ſolum teneatur hæres eam eleemoſynam dare. Ad ſecundam autem ratione conſtabit ex dicendis *numero* 56. Et ideò legatum eſſe irritum tradunt *Bar. tractatu Minoricarum lib. 2. diſt. 6. cap. 1. numer. 32. & 33.* addens, nec deberi æſtimationem *Abb. cap. in præſentia, numer. 63. de probationib. &c. nimis el 2. numer. 2. de exceſſib. Prælatorum. Bald. auth. ingreſſi in nova editione num. 59. C. de ſacroſ. Eccleſ. Anchar. cap. 2. num. 30. de teſtam. & ibi Imol. num. 42. Roſella in ſumma verb. legare n. 19. & num.* 20. addens ſolum poſſe recipere fratres, quando merè valet hæres dare. *Armilla verb. legatum nu.* 3. Navarr. *lib. 3. conſiliorum tit. de teſtamenis in 1. editione, conſ. 14. n. 8. in 2. conſ. 8. nu.* 8. explicans nec æſtimationem deberi, ſed haberi legatum pro non ſcripto: loquiturque de annuit redditibus cum onere faciendi ſacra, & alia divina officia; & *Queſada diverſis qq. juris, cap. 22. numer.* 9. ait enim nec æſtimationem tunc deberi, & idem quod *Queſada*, dicit etiam *Sorbus in compend. privileg. Mendic. verb. legata, in ſuis annotationib. verſ. ſi verò aliquid annuum, ſeu aliqui redditus, Corduba in reg. D. Franciſci cap. 16. quæſt. 11. puncto 4. notabili* 2. aſſeritque duplex Capitulum generale ſui ordinis, alterum celebratum Aſſiſii anno 1526.

verba ſunt hæc. *Decernitur, ac præcipitur, quod fratres nullo modo recipiant aliqua legata perpetuò relicta aliquibus perſonis, vel hoſpitalibus, vel aliis domibus, ut dent fratribus certam eleemoſynam ſimpliciter, ut ipſi dicant certa officia, vel Miſſas; immò quod Guardianus, vel Præſes faciat proteſtationem juridicam & authenticam ei, qui implere tenetur teſtatoris voluntatem, quod nolunt eas eleemoſynas ex vi illius legati, nec volunt obligari ad illa officia, vel Miſſas, & quod ſi volunt legatarii, transferant ad alium locum: ſi tamen facta iſta proteſtatione legatarius præfatus voluerit ex ſua mera voluntate dare eleemoſynas illas, & committere fratribus dicta officia, & Miſſas, poſſint fratres cum bona conſcientia recipere.* Alterum autem celebratum Burgis anno 1523. cujus hæc ſunt verba: *Declaratur quod ad perpetua legata petenda non poſſunt fratres recurrere, niſi per modum eleemoſynæ abſque alicujus debiti allegatione, immo cum declaratione ſcripta, & ſigillata hæredibus vel commiſſariis facienda, quod ſ. fratribus non liceat talia petere, niſi humiliter per modum eleemoſynæ.* Et Surdus de aliment. tit. 3. q. 4. numer. 13. dicit eſſe illis interdictum ex ſuorum patrum ordinationibus, nec poſſe recipere, etiamſi ſint anniverſaria titulo legati illius, ſed ab hærede ſponte ſua dante.

50 Monuerim tamen, hoſpitale, aut hæredem, cui id legati onus relictum eſt, ut fratres Minores ea ſacra facerent, teneri facere ea ſacra celebrari, & ſi fieri poteſt in Eccleſiis, & altaribus à teſtatore deſignatis. Conſtat ex l. 1. §. pro ſecundo, C. de caducis tollend. ubi deciditur, legatum caducum pertinere ad hæredem: at hunc teneri implere onus licitum ei adjunctum. Nec enim ferendus eſt commodum admittens, at onus illi impoſitum rejiciens. At non tenetur facere ea fieri per fratres Minores: quod ea obligatio fuerit nulla; at poteſt mera ſua voluntate committere Minoribus ea facienda, ſicut poſſet committere cuicumque alii ſacerdoti, ut decidit generale Minorum Capitulum allegatum num. præced. Poſſetque Pontifex diſpenſare, ut hoc legatum daretur Minoribus. Quæ omnia docet Navar. lib. 3. conſiliorum, tit. de teſtamentis, in 1. edition. conſ. 14. & in num. 2. conſ. 8. à num. 8. uſque in finem Menochius conſ. 1014. num. 4. volum. 11.

51 Addit autem Navar. in fine illius conſilii, ſi quid ex ea eleemoſyna ſupererit, ſoluto Miſſarum ſtipendio, eſſe piè interpretandum, ut detur aliis monaſteriis pauperibus. Quia videtur teſtator voluiſſe, nullam illius eleemoſynæ partem remanere hæredi. Sed benè ait Navar. eam eſſe piam interpretationem; nam verè ad id non tenetur hæres, ſed poteſt ſibi retinere. Quia quando legatum eſt caducum, & irritum, non eſt neceſſariò in alium uſum convertendum, ſed cedit hæredi: at num. 48. probavimus id legatum eſſe caducum, & irritum. Quare, cum ſola oneris implendi obligatio hæredi maneat, quidquid legati impleto onere ſuperfuerit, cedet ipſi.

52 Ex his deducitur primò, non poſſe Minores admittere hanc eleemoſynam, tamquam ab hærede debitam; ſi enim hic ſolvit, non liberè dat, ſed ex errore, quo ſe obligatum putat: ſed ſolùm quando ſua ſponte dat certior factus ſe non aſtringi. Conſtat ex Capitulo generali Minorum allegato n. 48. & docent Navarrus, & Surd. allegati n. 49. Quare non approbo, quod ait Queſa in diverſis qq. juris, à num. 36. uſque in fin. ubi ait, mera ſponte dante, non licere accipere, quia cui interdictum eſt exigere, interdicitur quoque ſpontè datum recipere, ubi in utroque eadem eſt ratio, ut ibi latè probat. Sed minus bene hoc ait, & conſtabit etiam ex dicendis nu. ſeq. Quia non eſt eadem ratio in utroque caſu; nam quando alter eſt obligatus, tollitur mendicitas, quæ fuit cauſa prohibitionis, non autem tollitur, quando ſponte dat, quia poteſt ſæpe revocare, hocque conſtabit magis ex dicendis n. ſequenti.

53 Secundò deducitur, licere fratribus Minoribus recipere eleemoſynas annuas, quas à Principibus aliquando gabellarum Exactores, aliive famuli jubentur fratribus Minoribus quotannis dare. Quod ea largitio ſit omnino liberalis ex parte Principis jubentis, ab ipſoque ad nutum revocabilis, quamvis famulus ex Principis præcepto teneatur dare. Sicque docent D. Antonius 3. p. tit. 16. c. 1. §. 12. notab. 9. Roſella in ſumma verb. legare n. 20. Sylveſter verb. legatum 2. q. 3. in fine.

54 Et quamvis ex conſuetudine ſolvendi liberè aliquid Eccleſiæ, aut piæ cauſæ, decennio inducta præſcribatur jus cogendi in poſterum ad ſolutionem, nullo alio probato, aut allegato titulo, ut per c. veniens el 1. de teſtib. tradunt Bart. Abb. Felin. & alii, quos refert, & ſequitur Tiraquel. tract. de præſcription. §. 1. gloſ. 4. n. 84. verſ. 42. At fallit in fratribus Minoribus, quamvis enim centum annorum ſpatio aliqui annui redditus eis ſolvantur, non præſcribunt: quod nullum jus, aut poſſeſſionem acquirant, ſed illius ſint incapaces. Sic allegato Bald. conſ. 207. in quadam colum. 2. tradit Manuel qq. reg. tom. 2. q. 126. art. 2. in fin.

55 Tertiò deducitur, non licere fratribus Minoribus inducere fideles ad hæc anniverſaria, ſeu legata annua illis relinquenda, tum quia non ſunt eorum capaces; tum etiam, quia, eſto eſſent, ſapit nimiam bonorum temporalium cupiditatem, à qua eos prorſus alienos decernit Pontifex Clem. exivi, de verb. ſignif. & proinde id non licere Bart. tractat. Minoricarum lib. 1. diſtinct. 2. c. 2. num. 12. Farinerius Generalis ordinis Minorum, quem referunt, & ſequuntur Angel. verb. legatum 1. n. 5. Sylveſt. verb. legatum 1. q. 3. dicto 3. Tabiena verb. legat. 1. q. 4. num. 5. Quamvis minus bene contradicat Manuel, dicens id eſſe licitum qq. reg. tom. 2. q. 126. art. 4. col. ult. corol. 4.

56 Quando autem legata annua ſunt permiſſa fratribus Minoribus, eſt integrum ipſis non per ſe, ſed per Syndicos nomine Sedis Apoſtolicæ tranſigere cum hæredibus, ut certa ſumma pecuniaria ſemel data, liberi à prædicta obligatione in poſterum evadant. Sic enim conceſſit illis Clemens VIII. cujus refert Manuel qq. reg. tom. 2. q. 126. art. ult.

57 Demum infertur, diverſum eſſe in voto, quo quis Deo ſe obligaret ad elargiendam quotannis in perpetuum certam eleemoſynam fratribus Minoribus; abſq; dubio enim teneretur non ex aliqua obligatione, aut ex jure Minoribus inde acquiſitis, ſed ex obligatione fidelitatis, & religionis acquiſita Deo per votum illud, & ita fratres poterunt accipere eam eleemoſynam, non ut ſibi debitam, ſed ut debitam Deo, quod Pontifex non interdixerit illis eleemoſynam annuam voto promiſſam recipere, ſed legato relictam, ut conſtat ex verbis relatis, num. 48. Nec recipere hanc eleemoſynam ſine aliqua actione, aut jure repugnat eorum mendicitati. Atque idem erit dicendum, ſi vovens ille gravet ſuum hæredem ad illam eleemoſynam quotannis dandam fratribus: quia etſi teſtator non gravaret, tenebatur hæres ad eam ſicut ad cætera realia defuncti vota; atq; ideò præceptum teſtatoris nullam vim novam adjecit, & ideo illi non capienti tamquam legato relictam, quod eſt illis interdictum, ſed tamquam voto debitam.

58 Ultima difficultas eſt, quibus mediis conſulatur fratribus Minoribus, ut hæres velit, nolit, ſolvat illis legata, modo licito eis relicta, & quorum ſunt capaces. Et quidem præmittendum eſt, pro nulla re temporali competere fratribus Minoribus actionem ad petendum. Conſtat ex Clem. exivi §. cupientes verſ. cumque dicti ordinis fratres, de verb. ſignif. ibi; pro nulla re temporali poſſunt in judicio reperiri. Nec ullum jus, aut obligatio ipſis fratribus acquiritur, ut conſtat ex c. exiit §. cæterum cum in eadem regula, de verb. ſignific. in 6. ibi; In ipſa pecunia nihil omnino fratres juris habeant, nec adminiſtrationem, ſeu diſpenſationem, vel contra perſonam nominatam, vel non nominatam, ab eis cujuſcumque conditionis exiſtat actionem, perſecutionem, aut aliquod aliud jus intentent, qualitercumque perſona prædicta in commiſſione hujuſmodi ſe habeat. Quod optimè explicat Bart. l. 3. Minoricarum diſtinct. 7. c. 2. nu. 38. & 39. dicens obligationem poſſe tripliciter conſiderari. Primo modo propriè, & ſtrictè, prout eſt juris vinculum, quo quis ex neceſſitate aſtringitur inſtit. de obligat. in princ. & hujuſmodi obligatio exigit duo extrema, alterum obligatum, alterum verò, cui obligatio acquiratur, & de hujuſmodi obligatione loquendo, nec hæres, nec alius fratribus Minoribus obligatur, quippe qui ratione arctiſſimæ paupertatis, & ſuæ regulæ neminem ſibi obligatum habent. Secundo modo poteſt ſumi obligatio largè, & impropriè, qua quis in ſe ipſo tenetur, licèt is, cui tenetur, nullam jus erga illum habeat, & hoc modo eſt hæres obligatus ad danda relicta modo licito Minoribus, quorum ipſi capaces ſunt; quippe ex præcepto teſtatoris ad id tenetur, quamvis fratres Minores ſint omni jure ad id legatum deſtituti, nec illum ſic obligatum habeant. Sicut contingit in obligato ex voto ad dandam eleemoſynam Xenodochio, qui ante Xenodochii acceptationem nullo modo ipſi tenetur, quaſi Xenodochium aliquod jus comparet, ſed tenetur ſoli Deo, cui promiſſio facta eſt. Tertio modo poteſt conſiderari reſpectu civitatis, quia jus ad legata recuperanda pauperibus relicta acquiratur civitati l. ſicut & l. civitatibus ff. de legat. 1. cùm Reipublicæ interſit pauperes ſuſtentari lib. privilegia C. de ſacroſ. Eccleſ.

59 Ex quo deducitur, triplici medio conſuli poſſe fratribus Minoribus adverſùs hæredem, ne legato, ad quod ille tenetur, defraudentur. Primum medium eſt, ut civitas, ſeu Syndicus ejus petat hoc, quia ei competit obligatio, & actio, ut diximus num. præced. Sic Bart. tract. Minoricarum lib. 2. diſtinct. 7. cap. 3. num. 41. & lib. civitatibus 125. in princip. numer. 5. ff. de legat. 1. Collector compendii Mendicantium verb. hæreditas num. 6. dicens ſic factum fuiſſe in civitate Barbaſti regni Aragonis, Manuel. qq. regular. tom. 2. q. 78. art. 1. Sorb. in compend. privileg. Mendic. verb. legata in ſuis annotationibus ad fin. quamvis contrarium teneat Anchar. Clem. exivi num. 17. de verb. ſignif. Immo quilibet de populo hoc poterit potere lib. in provinciali §. fratrum & lib. ſequenti, ff. de oper. nov. nun. & authent. de eccleſiaſt. titulis §. ſi quis autem. Sic Bart. utroque loco Collector compendii Mendicantium, & Manuel ibidem. Corduba in reg. D. Franciſci c. 6. q. 11. puncto 4. Redoanus alios referens de ſpoliis eccleſiaſt. q. 8. in princip. nu. 35.

60 Secundum medium eſt. Poteſt Judex ex ſuo mero officio, nemine petente, compellere hæredem, ut adimpleat, quia intereſt Reipublicæ, ne quis ſua re malè utatur. §. ſed hoc tempore inſtit. de his qui ſunt ſui, vel alien. jur. atque ut voluntas teſtatoris impleatur, accideretque nonnumquam pium defunctorum propoſitum defraudari, ut dicit text. lib. nulli C. de Epiſc. & cleric. Atque ita docent Bart. d. lib. civitatibus, in princip. n. 7. Abb. cap. nos quidem num. 5. de teſtam. Anchar. d. Clem. exivi num. 16. Angel. verb. legatum 2. num. 15. idem Bart. Speculator, & Joan. Andreas, quos referunt, & ſequuntur Collector privilegiorum Mendicantium, Corduba, & Manuel allegati num. præced. & conſtat ex verbis textus, quem nu. ſeq. allegabimus.

61 Judex autem hic eſt tam eccleſiaſticus, quàm ſæcularis, c. exiit §. ad hæc quia fratribus verſ. ſi vero modum, de verb. ſignif. n. 6. ibi; Et etiam Prælati, & ſæculares, quibus de jure, vel conſuetudine proviſio iſta competeret, cum expedierit, ſe ex officio ſuo promptos exhibeant ad pias voluntates deficientium adimplendas. Et ita docent Bartolus Abbas, Angelus, Corduba, Sorb. allegati nu. præced. idem Bart. tract. Minoric. lib. 2. diſtinct. 7. c. 3. num. 41.

62 Sed difficultas eſt, utrum ipſis fratribus Minoribus integrum ſit hoc Judicis officium implorare extra judicium? Quidam nomine Joannes Philippus relatus à Corduba eodem punct. 4. id negat, quod fratres Minores nil juris habeant ſive in judicio, ſive extra. Sed omnino tenendum eſt, licitum eſſe fratribus Minoribus denunciare judici, ut ex officio ſuo compellat; quippe hoc non faciunt quaſi habentes aliquid juris in tale legatum, ſed admonendo Judicem extrajudicialiter, ut ille ex officio ſuo cogat. Atque ita docent Bart. d. l. civitatibus, in princip. num. 5. D. Bonaventura in reg. D. Franciſci c. 4. poſt ſolutionem ad 4. Abb. c. in præſentia, num. 63. de prob. Nicolaus de Ubaldis de ſucceſſ. ab inteſtato, ubi de ſucceſſione regularium 2. p. nu. 9. Redoanus de ſpoliis eccleſiaſt. q. 8. in princip. num. 47. Horatius Lucius l. 1. n. 18. ff. de juriſdict. omn. Jud. Angel. verb. hæreditas numer. 17. Sylv. verb. hæreditas 1. q. 7. dicto 1. nu. 10. Cordub. in reg. D. Franciſci c. 6. q. 11. punct. 4. Manuel qq. reg. 2. tom. q. 126. art. 4. in fin. Sorbus allegatus, num. 58.

63 Ultimum medium eſt, ut Syndicus Minorum petat nomine Eccleſiæ Romanæ; quippe poſſunt fratres uti Syndico ad hoc, dummodo aliæ debitæ circumſtantiæ concurrant. Sic Corduba in reg. D. Franciſci cap. 4. quæſt. 16. punct. 2. ſtatim in princip. Manuel. q. reg. 2. tom. qu. 78. art. 1. Sorbus allegatus num. 58.

CAPUT XXVII.

De paupertate Societatis IESU, & an poſſit illa, ejuſve religioſi hæredes, aut legatarii inſtitui, & quæ ſint huic paupertati peculiaria?

SUMMARIUM.

Collegia, & domus probationis Societatis JESU poſſunt hæredes inſtitui, & habere quoſcumque annuos redditus, & poſſeſſiones, nu. 1.

Religioſi illius ſolis votis biennii aſtricti poſſunt hæredes, & legatarii inſtitui, nu. 2.

An domus profeſſæ Societatis JESU, aut earum Eccleſiæ poſſint habere redditus, aut bona ſtabilia? nu. 3.

An poſſeſſio domibus profeſſis permiſſa poſſit aliis locari, aut ex illa poſſint domus profeſſæ fructus aliquos percipere, aut vendere aut ex illis ſuſtentari, aut permittere colono, ut hæc ad ſuam utilitatem faciat? nu. 4.

An liceat domui profeſſæ vendere partem illorum fructuum neceſſariam culturæ illius poſſeſſionis, aut convenire cum colono, ut partem illius ſibi colat in pretium culturæ reliquæ partis? nu. 5.

An domus profeſſa poſſit habere redditus exiguos, aut ad modicum tempus, & quale dicatur modicum tempus? nu. 6.

An liceat habere hos redditus applicatos ſacriſtiæ, aut fabricæ Eccleſiæ? nu. 7.

An hæres juſſus à teſtatore dare hos redditus domui profeſſæ, teneatur in foro conſcientiæ eos dare? Proponuntur probantia partem negantem, nu. 8.

Explicatur ſententia auctoris; & an actio competat religioſis Societatis JESU ad hujuſmodi redditus recuperandos, vel ad præficiendum ſæcularem, qui adminiſtret? nu. 9.

Quo remedio poſſint cogi hæredes ſolvere, nu. 10.

An religioſi Societatis JESU peccent contra paupertatis votum ſi incitent ad hujuſmodi annuos redditus Societati profeſſæ relinquendos? nu. 11.

An poſſit domus profeſſa juvari redditibus Collegiorum, vel profeſſi, aut coadjutores formati ſuſtentari in Collegio, aut ab ipſis aliquid accipere? nu. 12. & 13.

An collegia Societatis, aut domus profeſſæ ſuccedant in bona ſuorum religioſorum, & quis ſuccedat illis ab inteſtato, & à quo tempore? num. 14.

An domus profeſſa poſſit hæres, aut legataria inſtitui ſive in bonis mobilibus, ſive immobilibus? nu. 15.

An poſſint hæredes inſtitui, vel donationem recipere à ſuis religioſis? nu. 16.

An rem ſtabilem ſibi relictam teneatur domus profeſſa ſtatim vendere, vel poſſit expectare opportunitatem, & in venditione illius rei ſtabilis ſit neceſſario aliqua ſolemnitas obſervanda, & quid ſi emptorem non inveniat? nu. 17.

An domus profeſſa habeat in communi dominium bonorum mobilium, & immobilium, quibus utitur, & rei ſtabilis ſibi relictæ, & actionem ad illa in judicio repetenda? Referuntur probantia partem negantem? nu. 18.

Explicatur ſententia auctoris, nu. 19.

An teneatur hæres rem ſtabilem domus profeſſæ relictam illi ſtatim tradere, ut vendat? nu. 20.

An teneatur fructus illius ei tradere? nu. 21.

An dum non inveniatur opportunitas vendendi, integrum ſit domui profeſſæ rem illam conducere? nu. 22.

Quod dicatur modicum tempus, nu. 23.

An profeſſi Societatis JESU, & coadjutores formati ſint incapaces hæreditariæ ſucceſſionis, & ſi inſtituantur hæredes, debeatur æſtimatio; vel quid fieret ab hæreditate illa, & an omnia dicta de fratrum Minorum incapacitate, ſint etiam de his dicenda? nu. 24.

An poſſint eſſe legatarii? nu. 25.

An illud legatum, & reliqua per profeſſos, aut ligatos votis biennii, aut votis novitiatus acquirantur Collegio, aut domui profeſſæ, in quibus habitant, & poſſint novitiis etiam invitis auferri? nu. 26.

Quid ſi hæreditati, aut legato relicto opponatur modus conſtitutionibus contrarius, uti legetur domui profeſſæ res ſtabilis retinenda? nu. 27.

Quid ſi religioſis Societatis JESU relinquatur aliquid ea lege, ut non ſe intromittat monaſterium, ſed illi eo fruuntur? numero 28.

In quibus excedat paupertas fratrum Minorum paupertatem domus profeſſæ Societatis JESU, in quibus ab hac excedatur? numero 29.

Etſi alii religioſi poſſint aſſumi ad Epiſcopatum, & aliqua beneficia, non tamen id poſſunt religioſi Societatis JESU, & vovent profeſſi ſe non conſenſuros ſuæ electioni, niſi obedientia cogantur? nu. 30.

Aſtringuntur hi voto non conſentiendi relaxationi paupertatis, num. 31.

Ligati votis biennii retinent ad tempus dominium bonorum ſuorum, non tamen adminiſtrationem. Et qualiter de illis diſponere poſſint, & quando teneantur dimittere beneficia eccleſiaſtica, & qualiter, nu. 32.

Collegia Societatis JESU, in quibus nec noſtri legunt, nec ſcholaſticos ajunt, an poſſint ex redditibus ſuſtentari? nu. 33.

An in Societate JESU ſit contra votum paupertatis dare munuſcula magnatibus, aut habere jumentum ad equitandum? num. 34.

An teneantur religioſi Societatis JESU pedeſtres iter agere? numero 35.

An hi mendicare, aut inde ſuſtentari, peccent contra votum paupertatis reſiſtendo? nu. 36.

Collegia Societatis quando nequeant eleemoſynas recipere? numero 37.

Adminiſtratio immobilium in Societate JESU, & eorum alienatio ad quem pertineant, & cujus licentia poſſit imponi ſuper ea cenſus, nu. 38.

An poſſit cenſus abſque ulla licentia ſuper hæc bona majoratus imponi, ad redimendum alium ex licentia legitima impoſitum? num. 39.

Alienare mobilia non pretioſa, aut pretioſa, ad quem pertineat, num. 40.

Dare mandatum procuratorium procuratori, cujus ſit in Societate, & an conſultores, & alii habeant ſuffragium? numero 41.

An poſſit conſuetudine induci, ut domus profeſſæ Societatis habeant bona immobilia in communi? num. 42.

1 PRima concluſio ſit. Collegia, & domus probationis Societatis JESU poſſunt inſtitui hæredes, & habere quoſcumque annuos redditus ſibi in perpetuum relictos. Conſtat, quia poſſident bona ſtabilia in communi, & annuos redditus, idque ex ſua primæva inſtitutione, ut expreſsè dicitur in prima Bulla Pauli III. qua confirmavit inſtitutum Societatis JESU, & in 1. Julii III. & in Bulla Pii VI. & in Bulla aſcendente, Gregorii XIII. & in conſtitutionibus ejuſdem Societatis in examine c. 1. §. 4. & p. 4. c. 2. §. 5. & p. 6. c. 2. §. 1. in declarat. litera A.

2 Secunda concluſio. Poſſunt ſimiliter hæredes inſtitui, & legatarii, qui in Societate JESU ſola biennii vota emiſere. Quod benè docet Molin. tom. 1. de juſtitia diſp. 139. col. 3. verſ. illi qui finito. Et conſtat, quia cæteros religioſos religionum habentium in communi bona, poſſe hæredes, & legatarios inſtitui, diximus duplici cap. præced. num. 1. ergo à fortiori prædicti religioſi Societatis JESU. Quippe illi nullius dominii acquirendi, aut retinendi capaces ſunt; hi autem acquirunt, & retinent ad tempus dominium ſuorum bonorum, quamvis non habeant illorum adminiſtrationem abſque ſuperioris licentia, ut habetur expreſsè in Bulla aſcendenti, Gregorii XIII. & in conſtitutionibus Societatis p. 4. c. 4. §. 5. in declarat. litera E. & p. 6. c. 2. §. 11. de declarat. litera H.

3 Tertia concluſio. Domus profeſſæ Societatis JESU nequeunt habere, nec in particulari, nec in communi redditus ullos, aut bona ſtabilia, ut poſſeſſiones, præter eam poſſeſſionem, quæ ad habitationem, vel uſum fuerit neceſſaria, aut valde conveniens, qualis eſt hortus, quò recreandi animi gratia ſe aliquando religioſi recipiant, ut conſtat ex Bulla Julii III. prima, qua confirmavit inſtitutum Societatis JESU, ibi; ſic voveant ſinguli, & univerſi perpetuam paupertatem, ut non ſolùm privatim, ſed nec etiam communiter poſſint profeſſi, aut ulla eorum domus, aut Eccleſia ad aliquos proventus, redditus, poſſeſſiones, ſed nec ad ulla bona ſtabilia, præter ea quæ opportuna erunt ad uſum proprium, & habitationem, retinenda jus aliquod civile acquirere, rebus ſibi ex cha-